



17
1781

BERGII
EXERCITATIO
COMPENDIARIA DEMON-
STRATIVA
DE
EO
QVOD IVSTVM
RATIONE RERVM
NULLIVS IN STATV
CIVILI ACQVIREN-
DARVM.

RINTELII
TYPIS IOH. GODOFR. ENAX, A. T.
M DCC XXXIII.



Ke 1042.

BERGII
HISTORIA
COMITATUS
3. TAVLA


FO
OVIDIVSTVM
MVM KERVVM
MVM IN STAV
OVIDIVSTVM
DARVM

LANTALLI
D. A. KANTORIKAK, A. B.
MEXICVM



I
g
m
fu
n
le
ac
n
a
e
te
m
c
p
li
p
r
ft
c





PRAEFATIO.

Poteras forsan benevole Lector! cum in scribendo me ad methodum, uti vocatur, scientificam a vulgaribus quidem differentem, veruntamen iis omnibus accuratiorem composuerim, singularitatis cujusdam suspicionem colligere; ast ubi naturam & indolem hujus methodi penitus inspexeris, ac cum ea paulo familiar factus fueris, nullus dubito, quin istiusmodi, si quod adsit, præjudicium lubens deposueris, eoque deposito, rectiorem in judicando te prodideris.

Hæc methodus tractandi, quemadmodum satis norunt, qui eadem uti didicerunt, id saltem habet proprii, quod primum ponenda sint principia generalia, eaque vera ac certa, ex quibus postea propositiones in data materia occurrentes legitima consequentia demonstrandæ. Cum itaque hunc ordinem calcaverim, eique me per singulas pagi-

nas accinxerim, quis dicere ansit? me
singulare quoddam protulisse, cum e
contrario nihil unquam excogitare li-
ceat universalius, quam ex generalibus
deducere specialia sub istis compre-
hensa.

Fateor subinde unam alteramque
propositionem principii loco positam
ulterius adhuc demonstrari potuisse,
quæ tamen cum ita comparatæ sint, ut
ab unoquoque facile concedantur par-
tim, partim in ipsis disciplinis philoso-
phicis Wolffianis imprimis (quippe
quas me rite intellectu præcognitas
hic suppono) demonstratæ jaceant, su-
perfluum ideo, & a præsentis scopo nimis
remotum foret altiores demonstratio-
nes alibi jam traditas huc accersere, at-
que hoc ipso tractationem præter neces-
sinitatem ampliare.

De eo, quod rem attinet non mul-
tum habeo præfatu necessarium; siqui-
dem opus semetipsum attento Lectori
commendaturum arbitror. Eriam si
numerus pagellarum non adeo magnus,
talia tamen actanta in iis continentur
qualia in aliis voluminibus pene multis
etiam

etiam famosissimis frustra sæpius quaeruntur; præsertim cum inter alia notam aliquam rerum naturalium & nullius constantem indicaverim, omniaque debito rexu proposuerim. Quæ alias hic aut illic objici possent alio fundamento niti minus videntur, quam quod regulæ in statu naturali quidem observabiles indiscriminatim transferantur ad statum civilem ab illo quam maxime cliversum, quæ confusio statuum accuratam & genuinam juris cognitionem admodum obfuscare ejusque progressum sufflaminare solet non solum, sed & promiscua regularum deinceps facta applicatio felicitati generis humani alias promovendæ multum obest. Huic autem malo medendi optimum habetur medium, regulas, quocunque nomine demum veniant, ex ipsa cujusque status natura derivando ac stabiliendo, specimen quoddam hujus commendati sistet præsens opusculum, quod dabam.

Schaumburgi die 6. Febr. 1733.

Joh. Christoph. Berg.

§. I.

Per acquisitionem in genere hic intelligo actum, quo nobis rem aliquam subjicimus, vel si mavis, appropriamus, quæ antea nostra non erat.

§. II.

Cum nullum actum nisi Juri Nat. h. e. principiis rationis conformem agere liceat; igitur & acquisitio, quo valida sit, cum principiis rationis consistere debet.

§. III.

Res a nobis acquirendæ aut alicujus jam sunt, aut nullius adhuc existunt: hinc duplex rerum acquisitio factu possibilis est: aut earum rerum, quæ nullius, aut earum, quæ alicujus jam sunt.

§. IV.

Acquisitio rerum nullius originaria, & rerum alicujus derivativa Jctis vocatur, cum illa quidem, non vero cum hac in presenti mihi negotium sumo ex positurus quidnam juris circa res originaliter acquirendas præprimis in statu civili seu politico tenendum sit.

§. V.

§. V.

Quemadmodum omnia reliqua certis modis pro diversitate variorum differentibus fieri solent; ita & acquisitio originaria, quæ est rerum nullius (§. IV.) certo modo a cæteris omnibus, consequenter & eo, quo res alicujus acquirenda, differente procedit.

§. VI.

Adeoque res, quæ jam alicujus existunt, non eodem modo quo nullius acquirendæ veniunt.

§. VII.

Modus acquirendi res nullius consistit in occupatione, quare nihil obstat, quo minus, cum non sint alicujus, ab unoquoque occupentur & acquirantur, patet adeo res nullius fieri occupantis, vel quod perinde est, res nullius cedere occupanti.

§. VIII.

Cum res alicujus non eodem modo, quo nullius acquirere detur (§. VI.) & modus acquirendi res nullius sit occupatio (§. VII.) sequitur, quod res alicujus a quolibet occupari nequeant.

§. IX.

Occupationis requisita sunt animus occupandi & actualis apprehensio in rem occupandam facta.

§. X.

Hinc alterutro horum requisitorum animo videlicet aut actuali apprehensione (§. IX.) deficiente, occupatio minus intelligitur.

§. XI.

Quilibet per se ac proprio motu agens animum agendi habeat necesse est; hinc si quis per se rem nullius apprehenderet animum occupandi simul habuisse necessario præsumitur. Quare cum animus occupandi & actualis apprehensio sufficiant ad occupationem (§. IX.) qui per se apprehendit revera creditur occupasse.

§. XII.

Res ullo modo hominibus usu venientes primum ac primario per ipsum naturæ ordinem existere, cum hac tamen differentia, quod quædam earum statim ac a natura productæ certum aliquem habeant usum, quædam vero non nisi hominum cura & opera, vel quod

quod idem ac unicum est, industria, naturæ quasi in auxilium superveniente, suum usum reddere demum possint, tanquam ex experientia notum hic adsumo.

§. XIII.

Res usui hominibus esse censentur in tantum, in quantum ad promovendam eorum felicitatem aliquod contribuent.

§. XIV.

Quatenus itaque sola natura sufficit rebus eo in statu, quo certum aliquem usum præstare valent, edendis eatenus haud opus videtur accedat hominum industria. Res adeo tali in statu ab industria humana totidem exemptæ sunt.

§. XV.

Res, quas ipsa sola natura absque super accedente hominum industria ad certum usum præstandum aptas edidit, hoc in statu adeoque in se spectatas naturales dico.

§. XVI.

Rerum naturalium quædam ubique locorum ac semper quædam vero non ubique sed hic vel illic tantum obviæ

A 5

sunt;

sunt; illas communes, has vero locales appellare lubet.

§. XVII.

Ex eo, quod res locales aliquo saltem loco habeantur, quales alibi minus interea reperiuntur (§. XVI.) constat eas esse alicujus pretii ac æstimationis; sic enim semet cum invicem non solum, sed & cum aliis comparari possunt, verum in hac mutua rerum usu alium comparatione fundamentum æstimationis ac pretiositatis latet.

§. XVIII.

Res, quæ ad sui in certum usum existentiam requirunt hominum industriam, industriales hinc inde pronunciari solent.

§. XIX.

Brutorum animantium aliqua cum hominibus in consortio vivere aliqua vero extra consortium humanum vagari manifestum est: illa mansuetorum, hæc ferorum vel ferarum nomine veniunt:

§. XX.

Cum feræ extra consortium humanum vagentur (§. XIX.) fieri quoque
re-

regulariter nequit, ut iis in lucem edendis ac conservandis hominum supercedat industria. Ast mansueta cum in consortio cum hominibus agant (§. cit.) nihil obstat, quo minus iis minimum educandis & alendis applicetur industria. Utrumque ita sese habere experientia simul comprobatur.

§. XXI.

Res in existendo ab industria humana independentes, naturales (§. XV.) eidem vero subjacentes industriales (§. XVIII.) appellantur. Cum igitur feræ ab industria eximantur, & mansueta eidem subjiciantur (§. XX.) palam est, quod feræ ad res naturales & mansueta ad industriales referenda sint.

§. XXII.

Feræ subinde contra suam naturam adsuescuntur ad in consortio cum hominibus vivendum; apparet adeo iis hoc ipso industriam accessisse ulteriusque accessum iri quamdiu statum hunc adsumtum non mutant (§. XX.) hujusmodi animalia mansuefacta dicuntur, quæ ideo rebus industrialibus accensenda (§. XXI.) donec mansuetudinem retinebunt,



bunt, qua vero rursus exuta, utique revertunt ad speciem færarum rebus naturalibus tunc adnumeranda (§. XXI). Mansuetudo autem conjicitur ex animo abeundi ac redeundi, vel si volucres sint, avolandi & revolandi; hinc mansuetudinem habere videntur eatenus, quatenus abire & redire, avolare ac revolare ex consuetudine solent.

§. XXIII.

Dantur quoque ferarum species, quarum usum, quem alias habebant, capere haud licet, nisi prius mansuefactæ & ad consortium humanum allectæ fuerint, quas ideo feras mansuefiendas nominare placet, tales sunt e. gr. apes, columbæ &c. Columbas huc esse referendas sua non caret ratione; siquidem earum avolatum ac revolatum itidem non semper quis in sua habet potestate, nec obstante, quod ut plurimum circum homines volare soleant, impediri tamen nequeunt, ne nunc hujus, nunc illius ædibus sese adsuescant.

§. XXIV.

Nec minus inveniuntur feræ ejus
in-

indolis, ut alia sui generis animalia nonnunquam & ipsos homines corrumpere ac destruere, itemque res ad usum hominis alias destinatas terere, ac absorbere naturaliter cupiant quas ideo nocuas vocare lubirum est.

§. XXV.

Feræ, etsi in continua fuga sint, non tamen ubique semper, sed certis solummodo locis deprehenduntur. Cum itaque res naturales hic vel illic locorum tantum obviæ locales nuncupentur, (§. XVI.) feras in numero rerum naturalium localium esse constat.

§. XXVI.

Quilibet largietur fieri haud posse, ut quis industriam suam rebus debito modo adhibeat, nisi liberam circa easdem habeat disponendi facultatem; sed libera cum rebus dispositio est nota quædam Dominii, ergo res, quibus producendis, ut & conservandis, aut quomodocunque ad certum usum alias parandis hominum industria accedere debebat, in dominio seu potestate hominum, ponantur necesse est.

§. XXVII.

§. XXVII.

Cum res ad sui incertum usum existentiam industria hominis indigentes, industriales (§. XVIII.) verum ad sui existentiam eadem opus minus habentes naturales (§. XV.) dicantur. Consequens est, quod res industriales Domino singulorum, res vero naturales quales nunquam subesse possint (§. XXVI.)

§. XXVIII.

Res industrialis aliquando dominum habere vel plane definit, vel ad minimum nullum habere videtur etsi adhuc habeat, id quidem in casu quo de domino minus constat, quam vacantem propterea dicere conveniet. Quotuplici autem modo res vacans evadere possit alibi disquirendum erit. Sufficit enim hic notasse quid sibi velint res vocantes.

§. XXIX.

In statu politico seu civili homines felicitatem sui coadunatis viribus promovendam intendunt.

§. XXX.

Ad quemvis finem obtinendum opus est

est mediis; quare cum in statu civili homines conjunctis viribus in felicitatem sui sibi comparandam conitantur, (§. XXIX.) conjunctim quoque de mediis promovendi felicitatem quam appetunt, solliciti esse debent.

§. XXXI.

Media sunt loco rationis cur finis obtineatur potius quam non §. adeoque media fini consequendo debent esse convenientia ac proportionata. Jam vero cum in statu politico totius reipublicæ sit quærere & eligere media ad finem ductentia (§. XXX.) penes universam rempublicam facultas ordinandi ac dirigendi media eo, ut fini societatis conveniant, statuenda est.

§. XXXII.

Dominia rerum inter singulos esse medium promovendi felicitatem humani generis facile probatur: datis enim & introductis rerum dominiis res ad usum, quem alias minus essent habituræ, redduntur aptæ (§. XVIII. XXVI.) quare cum usus rerum sit de felicitate generis humani (§. XIII.) Dominia rerum apud singulos esse medium promovendi
feli-

felicitatem humani generis consequitur.

§. XXXIII.

Cum facultas ordinandi media finis societatis publicæ obtinendo convenienter penes universam rempubl. resideat (§. XXXI.) & rerum apud singulos Dominia sint mediam aliquod fine isto potiendi (§. XXXII.) clarum est, quod facultas concedendi singulis reipublicæ membris Dominia rerum ac inter eos postmodum sustinendi conveniente ad finem amplectendum ratione, penes integram societatem publicam persistat.

§. XXXIV.

Exinde, quod facultas ordinandi ac sustinendi rerum dominia inter singulos apud universam rempubl. concipiatur (§. XXXIII.) denuo consequitur, quod bona privatorum in societate civili simul viventium principaliter vel alio respectu eventualiter pertineant ad rempublicam aut principem ceu regionis Dominum. Qua ratione quivis privatorum res suas dependenter ab universa societate publica vel principe rempubl. repræsentante propriam tenet ac possidet.

§. XXXV.

§. XXXV.

Hinc res Domino carentes vel quarum dominus ignoratur, ipso jure pertinent ad rempublicam seu nostro stylo fiscum. Tales autem res dicuntur vacantes (§. XXVIII.) ergo res vacantes ipso jure transeunt ad fiscum.

§. XXXVI.

Adeoque res vacantes semper aliqujus censentur.

§. XXXVII.

Quoniam res privatorum propriæ principaliter ad principem pertinent (§. XXXIV.) & res industriales, minime vero naturales in privatorum dominiis habentur (§. XXVII.) sequitur res naturales non esse in potestate principis.

§. XXXVIII.

Ergo res naturales nullius existunt.

§. XXXIX.

Cum in republica de mediis ad statum felicitatis per ducentibus meditando fit (§. XXX.) & usus rerum ad capeffendam felicitatem contribuatur (§. XIII.) In republica id saltem inter alia curari debet, ut omnium rerum debitus habeatur usus, adeoque caveri, ne ulla

B

res

res usu suo cadat ac inusitata vel in totum vel pro parte relinquatur.

§. XL.

Res vacans invenienti aut alio quocunque modo apprehendenti non potest acquiri. Etenim est alicujus (§. XXXVI.) Jam vero rem alicujus occupare haud licet (§. VIII.) ergo res vacans invenientis aut alio quocunque modo apprehendentis fieri nequit.

§. XLI.

Res naturalis cuique cedit occupanti. Siquidem nullius est (§. XXXVIII.) sed res nullius cedit cuique occupanti (§. IX.) ergo res naturalis cuique cedit occupanti.

§. XLII.

Sed jam quaestio est, utrum & rerum naturalium localium libera occupatio cuique privatorum permittenda sit nec ne? & respondetur negando; siquidem hujusmodi res alicujus preti ac aestimationis capaces sunt (§. XIX.) verum enim vero res pretium ac aestimationem admittentes omni momento desiderabiles esse ab unoquoque, domestica cujusque experientia testatur. Cum jam per suam naturam dominio

fin.

singulorum subesse nequeant (§. XXVII.) ratio deficit cur ab hoc potius quam illo appetantur; unde sæpius in una eademque re apprehendenda plures simul colliderent, quo ipso procul dubio continuæ rixæ, contentiones, aliæque turbationes felicitati nimium adversantes inter homines metuendæ forent. Verum in statu civili media promovendi felicitatem quærenda sunt (§. XXX.) ergo minus ferendum, ut res locales naturales a quolibet singulorum pro lubitu occupentur illique sic acquirantur. Idem alia adhuc ratione probari potest: facile enim intelligitur, quod relicta singulis privatis libertate, res locales occupandi sibi que vindicandi, istiusmodi rerum plurimæ usu suo caderent ob rationem, quod paucissimi modum iis legitime utendi norunt. Quare cum in republica cavendum, ne ulla res alicujus usus reddendi alias capax inusitata maneat (§. xxxix.) denuo apparet occupationem rerum localium in statu civili privatis haud concedendam esse.

§. XLIII.

Jus itaque occupandi res naturales

B 2

lo-



locales, easque in debitum usum vertendi sine dubio residet penes universam societatem publicam vel principem regionis dominum. Et ex hac ratione istiusmodi res una cum reliquis accensentur regalibus principis.

§. XLIV.

Cum feræ rebus localibus adnumerentur (§. XXV.) & rerum naturalium localium occupatio privatis interdicitur (§. XLII.) privati feras pro lubitu occupare merito prohibentur. Hæc prohibitio speciales adhuc pro se habet rationes. Etenim ad feras occupandas propterea, quod continuo profugiunt, multum subinde temporis itemque magni sumtus requiruntur; hinc privati tempus negotiis suis ordinariis ac utilioribus alias impendendum feras insequendo consumerent, quo continuato ad ultimum totalem sui ruinam & perniciem incurrerent. Sed reipublicæ interest, ut quisque sibi occumbentia probe perficiat, iisque perficiendis debitam adhibeat industriam, nec minus in suo genere suaque conditione ditatus permaneat. Ergo privatis liberam ferarum oc-

occupationem interdicendam esse ulterius fluit.

§. XLV.

Mansuefactionem ferarum præsupponere occupationem per se claret. Cum igitur singulis privatis occupatio ferarum prohibita sit (§. XLIV.) utique & feras neque ad ultas neque earum pullos mansuefaciendi causa promiscue capere licet. Dico promiscue; siquidem inferius docebitur esse quarundam ferarum mansuefactionem licitam.

§. XLVI.

Cum e contrario jus occupandi res locales principi competat (§. XLIII.) jus occupandi feras penes principem statuendum esse constat.

§. XLVII.

Occupatio ferarum absolvitur duplici modo, aut captura, aut vulneratione ad percellendum sufficiente quomodoque facta. Quamobrem cum fera sit res naturalis (§. XXI.) & res naturalis cedat occupanti (§. XLI.) consequens est, quod fera capientis vel etiam ad percellendum sufficienter vulnerantis fieri debeat.

§. XLVIII.

Ipse actus ferarum occupandarum gratia susceptus ac institutus est, qui venationis nomine designatur, quare cum jus occupandi feras ad principem spectet (§. XLVI.) sequitur principis esse jus venationem instituendi ac exercendi, nec ullius privatorum nisi forte a principe illud quocunque titulo habeat concessum.

§. XLIX.

Quod si promiscua rerum naturalium localium occupatio & in specie quoque venatio ferarum in variis ac diversis territoriis pro lubitu exercenda cuique superiorum relinqueretur libera, conceptu facile est huiusmodi quid cum securitate ac tranquillitate publica haudquaquam consistere posse. Igitur cum in statu politico non statuendum quod securitatem ac tranquillitatem publicam ullo modo turbaret; promiscuam rerum localium occupationem defensurus utique contra prima principia rationis politica sentiret.

§. L.

Consequenter jus occupandi res
na-

naturales locales & in specie venandi ad ipsum cujusque reipublicæ territorium restringitur. Venationem igitur ultra territorii sui limites in alterius territorium exercere nemini licet. Secus ubi dominus istius territorii consenserit.

§. LI.

Quoniam captura habetur loco occupationis (§. XLVII.) fera alicujus tamdiu manet, quamdiu ab eodem capta tenetur. Capturam ideo vel custodiam rursus evadens ad pristinum suum recedit statum, fitque ut antea nullius cuique occupanti cessura.

§. LII.

Item. Cum vulneratio ad percellendum sufficiens itidem fit loco occupationis (§. XLVII.) consequitur eum, qui ad percellendum minus sufficienter vulneravit non posse haberi pro occupante.

§. LIII.

Si quis feram in suo territorio cepisset, & fera ista capturam rursus evaderet in alterius territorio postmodum capta, vel ad percellendum satis vulnerata, posterioris nec prioris intelligitur. Etenim

tamdiu capientis manet, quam diu capta ab eodem tenetur (§. LI.) quare cum prioris custodiam rursus effugerit (per hypoth.) Eius quoque amplius intelligi nequit. Cum vero posterior aut ceperit, aut ad percellendum satis vulneraverit (per hypoth.) & fera cedat capienti nec minus ad percellendum sufficienter vulneranti (§. XLVII.) sequitur feram hanc fieri posterioris. Ergo fera ab aliquo quidem in suo territorio capta capturam vero rursus egrediens, ab altero denuo capta vel satis ad percellendum vulnerata posterioris intelligitur nec prioris.

§. LIV.

Si quis feram in suo territorio sive ad percellendum satis sive minus vulneraverit, & fera post vulnus acceptum auferet in alterius territorium, tum vulneranti haud esset permissum eam per istud territorium insequi. Hoc enim ipso venationem in alieno territorio exercere auderet. Quod cum prohibitum sit (§. L.) feram etsi ad percellendum satis vulneratam per alterius territorium insequi neminem decet.

§. LV.



§. LV.

Si quis feram in suo territorio ad percellendum satis vulneraverit, & fera ista vulnere accepto, ad alterius territorium digrederetur ibique vel capta, vel reperia, vel denuo vulnerata, nihilominus primi vulnerantis esse creditur. Etenim primi hoc ipso, quo sufficiens ad percellendum vulnus injecit jam facta est (§. XLVII) consequenter non ut nullius verum alicujus consideranda. Pone igitur eandem ab altero denuo vulnerari, vel capi aut percussam reperiri. Quoniam alicujus facta est (per demonstr.) & rem alicujus occupare sibi que acquirere non licet (§. VIII.) posterioris quoque censi nequit. Ergo si quis feram in territorio suo ad percellendum satis vulnerasset, eaque post acceptionem vulneris divagaretur in alterius territorio ibidem vel capta, vel vulnerata vel reperta, nihilominus primi vulnerantis judicatur.

§. LVI.

Si quis feram in suo territorio minus quidem ad percellendum sufficienter vulneraverit, eamque alter ad se fugientem

ceperit quam capere haud valuisset, nisi prius quodammodo vulnerata fuisset, fera ista utrique horum tam vulneranti, quam capienti cedere debet. Priori soli eam non posse cedere id quidem exinde patet, quod ad percellendum insufficienter vulneravit. Quoniam tamen posterior absque prævia vulneris illatione eam capere non potuisset (per hypoth.) hi duo unius instar capientis spectandi veniunt. Quare cum fera cedat capienti (§. XLVII.) manifestum est, quod utrique horum sub data hypothese fera cedere simul debeat.

§. LVII.

Quod si intra confinia diversarum regionum venatio a regionum dominis institueretur, tum feræ ibidem occupatæ omnibus una cedere debent. Etenim sic venatio conjunctis viribus exercetur cujus intuitu variarum regionum domini pro uno quodam occupante valent. Jam vero notum est, feras cedere occupanti siue mediante vulneratione siue captura id fiat (§. XLVII.) ergo hoc in casu feræ omnibus istis regionum dominis una cedere debent.

§. LVIII.

§. LVIII.

Si fera ab aliquo ad percellendum satis vulnerata aliquandiu post vulneris illationem profugeret, atque ideo demum in alterius territorio procideret, vel minimum ibidem caperetur, ignotum tamen esset, ubinam & a quo vulnus acceperit, tum ea ut res vacans consideraretur; Siquidem vulnerantis jam revera facta est (§. XLVII.) quoniam vero ex hypothese supponitur ignorari vulnerantem nullum videtur habere dominum. Sed hujusmodi res vacans putatur (§. XXVIII.) ergo fera illa instar rei vacantis apparet.

§. LIX.

Fera in alicujus territorio capta vel reperta ab alio jam & alibi ad percellendum sufficienter vulnerata, ignotum tamen ubinam & a quo vulnus illatum fuerit, regionis in quo reperitur aut capitur domino cedit. Est enim res vacans (§. LVIII.) Jam vero res vacans cedit regionis domino (§. XXXIV. XXXV.) ergo hujusmodi fera cedit regionis in qua invenitur domino.

§. LX.

§. LX.

Consequenter fera in confiniis regionum reperta regionum dominis unacedere debet.

§. LXI.

Cum feræ mansuefiendæ sint, quarum usus haberi nequit, nisi prius a quodam privato mansuefactæ adeoq; occupatæ fuerint (§. XXIII.) & publico intersit, quando cujusque rei debitus habeatur usus (§. XXXIX.) sequitur occupationem ferarum mansuefiendarum unicuique privatorum liberam esse relinquendam. Quia Columbæ sponte sua ædibus adhabitare solent nec actuali quoad eas apprehensione opus est, igitur & ejus censentur cujus ædificio adhære-
re sponte coeperunt.

§. LXII.

Item cum feræ nocivæ reliquis detrimento sint (§. XXIV.) & in republica cavendum, ne ulla res usu veniens corrumpatur (§. XXXIX.) nihil obstat. Quo minus privatis liberum concedatur istiusmodi feras capere, easque sic e
me-

medio tollere, nisi in casu quo forte incommoda superius (§. XLIV.) enumerata verenda sint, tum itidem regionis Dominus earum occupationem sibi reservaret.

§. LXIII.

Si quis animum haberet rem nullius occupandi, alter vero eandem rem per se apprehenderet, hujusmodi res posteriori nec priori cedere debet. Solus enim animus ad occupandum non sufficit (§. X.) quare cum prior nudum solum animum habuerit (per hypoth.) & res nullius non nisi occupanti cedat (§. VII.) sequitur ei res minus cedere. Sed actualis apprehensio quam aliquis per se facit sufficiens ad occupandum creditur (§. XI.) cum igitur posterior sic fecerit (per hypoth.) & res nullius cedat occupanti (§. VII.) posteriori res ista cedere debet. Ergo si quis animum haberet rem nullius occupandi, alter vero actu per se apprehenderet, posterioris nec prioris res existimatur. Unde ratio, quod solus visus ad occupationem nihil faciat.

§ LXIV.

§. LXIV.

Si quis rem, quæ nullius est, novens animumque occupandi habens alteri nescienti notificaret, ubi res deprehensa, & eo ipso ansam alteri ad apprehendendum daret, hic quoque sic instructus actu apprehenderet, res hoc modo occupata utriusque horum una cedere debet. Præsupponitur hic ex hypothesi alterum actu non apprehendisse, & alterum animo occupandi caruisse; quare cum occupatio nulla censeatur, ubi vel animus vel actualis apprehensio defuerit (§. X.) palam est, quod neuter eorum quoad propriam personam adeoque solus pro occupante reputari possit. Quoniam vero in eadem hac hypothesi a parte unius animus occupandi & a parte alterius actualis apprehensio fingitur, atque ad occupandum animus & actualis apprehensio sufficiunt (§. IX.) ambo unius instar occupantis videntur. Jam vero res nullius cedit occupanti (§. VII.) ergo res dicto modo occupata utriusque horum simul cedere debet. Primum actu non apprehendisse per se clarum est; alterum vero caruisse animo occupandi facile pro-



probatur; siquidem ubi ab illo de re apprehendenda certus factus indeque ad apprehendendum instructus non fuisset, nec unquam in dato casu ad apprehensionem subeundam se determinasset.

§. LXV.

Quod si duo vel etiam plures rem nullius actu & animo occupandi, vel quod perinde est, proprio motu simul apprehenderent, istiusmodi res omnibus iis una cedere debet; siquidem hi omnes pro uno quodam occupante valent (per hypoth.) Jam vero res nullius cedit occupanti (§. VII.) ergo sub data hypothese res omnibus istis una cedere debet.

§. LXVI.

Si res alias nullius in alicujus fundo moraretur, & fundi Dominus eum occupandi proposito esset, tum nulla adesset ratio cur alii, qui itidem occupandi animo accederet res ista præ fundi Domino cederet; rationi igitur conveniens videtur, eam hoc in casu fundi Domino potius, quam extraneo cedere secus ubi fundi
Do-

Dominus eam vel ignoret, vel minus desideret, tum nil impedit, quo minus ab unoquoque adveniente occupetur, modo id citra damnum ac fundi corruptionem fieri possit, alias tale quid absque domini consensu moliri utique injustum foret. Hoc in genere appendicis quasi loco adjiciendum adhuc erat.


TANTVM.



mc

Ke 1042





17
178

BERGII
EXERCITATIO
COMPENDIARIA DEMON-
STRATIVA
DE
EO
QVOD IVSTVM
RATIONE RERVM
IN VLLIVS IN STATV
CIVILI ACQVIREN-
DARVM.

RINTELII
TYPIS IOH. GODOFR. ENAX, A. T.
M DCC XXXIII.



Ke 1042.

